

omnes Spiritus finiti corruptibiles hâc ratione. Si enim vellet, posset omnia hæc destrucere, ac redigere in nihilum, è nihilo qui fecit Deus. Ad quam mentem sapienter in *Timæo* à Platone rerum Opifex supremus introducitur. *Opifex ego & Pater sum. Quæ à me facta sunt, me ita volente, indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vinctum est, solvi potest.* Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis; nec tamen unquam dissolvemini. Non corrumpuntur quippe, quoniam non vult; ut verè iterum major magno nato Pater Scaliger laudato loco. *Nullum simplex resolvitur in sua principia. Nullis enim componitur principiis. Nulla natura cælestis corruptibilis est.* O præclaram animi ingentis vocem! Sed & egregiam confessionem Viri, qui vel pejerare etiam pro Aristotelis auctoritate non reveritus fuisset aliàs: *Profectò haud scio, (inquit Exerc. 71. s. 1.) an rerum cælestium ulla sit excellentior ipsâ luce. UT MIHI RELIGIO SIT, ARBITRARI, EAM INTERIRE POSSE.* Divina nempe res est Lux, & nobilissima substantia, conservans corpora alia, cum animata, tum inanimata in statu suo naturali. Lumen interit; aut tamen retrahitur, Lux manet. Ignis, aut candela ardens cum extinguitur, Lux dissipatur saltem atq; occultatur, & in alia se induit subjecta; non annihilatur. Ausim obtinere, creaturam ex se nullam adeò capacem esse, ut materiale ens, tam nobile potissimum, in statum nihili traducere, id est, facere non-ens ex ente isto possit. Inter ens tale atq; non-ens infinita aliqua distantia, ab eo, qui est *ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτης*, adimplenda. *Αποκ. I, 8.*

§. XIX. Quod *Lux vivifica* vocari mereatur, patet, quia si *Lux vivif-  
ne* Lucē nullum animal, & planta nulla vivere, sed ne vegetari quif-  
dem, aut nutriri potest. Sol solus testis; sine cujus operatione ac  
influxu desperirent omnia in terris. Sidera ipsa reliqua, quantum-  
vis multa multam partem luminis à Sole mutuuntur, (Luna  
certè omne, quod videmus vulgò, Planetæ cæteri sic satis probabi-  
liter,) quàm efficacem in inferiora hæc influxum exerunt? quàm  
mirificè instaurant sublunaria? Non pessimè *Wirdigius* in *Medic.  
spirit. c. 16. §. 15.* *cùm astra moveantur, scribit, & corpora nostra  
moverè*